

hi profiteantur tria vota substantialia religionis.

23. *Nisi pro utilitate sui monasterii, et accedente licentia prælati, copulative.* — Additur notanter, « accedente simul mandato proprii prælati. » Nam, ut notat Abbas in cit. cap. II. n. 2 et 3. h. t. illa duo, nempe utilitas monasterii, et licentia abbatis, copulative requiruntur ad hoc, ut possit monachus advocatum agere in judicio, nedum ecclesiastico, sed etiam sacerdotali: quamvis sufficere possit utilitas monasterii, saltem in consequentiam emergens; ut si tractetur causa boni amici, qui monasterio utilis existit.

26. *Fratres minores nec possunt personaliter assistere advocatis, dum ipsorum negotia temporalia agitantur in curiis.* — Quinimo in ordine Fratrum Minorum illud habetur speciale, quod ipsi non solum nequeant esse advocati, etiam de mandato suorum superiorum, sed insuper non possunt personaliter assistere advocatis et procuratoribus ad eosdem instigandos, quando ipsorum negotia pro rebus temporalibus agitantur in curiis; prout liquet ex Clem. *Exxi. § Proinde, de Verb. signif.* Ratio hujus redditur ibidem: quia Fratres Minores nihil habent proprium, ne quidem in communi: atqui « ex talibus assistentiis in curiis et instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commoda convertendis, creduntur verisimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines foris judicare) in ipsis rebus fratres assistentes aliquid querere tanquam suum, » prout argumentatur Pontifex ibidem; ergo nullo modo debent hoc facere, « ut et testimonium habeant ab his, qui foris sunt, et puritati satisfaciant voti sui, ac evitetur per hoc scandalum pusillorum, » prout ibidem subjungitur.

§ II.

DE OBLIGATIONE POSTULANTUM, SEU ADVOCATORUM.

27. *Obligatio postulantum, seu advocatorum, generatim quotuplex?* — Quæritur I. Quotuplex generatim sit obligatio postulantum, seu advocatorum? Resp. I. Licet multiplex sit obligatio advocatorum, ea nihilominus cum sancto Joanne a Capistrano, tom. I. *Tractatum*, tract. *Speculum conscientiae*, instituto. § *Restat ultimum*. num. 29 et seqq. commode ad quatuor principalia capita revocatur, videlicet: ut advocati attendant imprimis ad qualitatem causæ; deinde

servent modum advocandi, consistentem in modestia, veritate, et fidelitate; tertio, ut servent convenientiam salarii, et quarto, ut non paciscantur de quota litis, nec alium cum suo clientulo contractum ineant. Et de his omnibus singillatim loquendo,

28. *Qua ratione teneantur advocati attendere ad qualitatem causæ? Non possunt suscipere causam certo injustam, et desperatam.* — Resp. II. Imprimis itaque officium advocati est, attendere ad qualitatem causæ. Debet enim bonus advocatus ante omnia diligenter inspicere causæ sibi propositæ æquitatem, vel probabilitatem, aut saltem dubietatem (nam quod advocatus causæ dubiæ, seu controversæ, patrocinium licite possit assumere, cum communiori aliorum, jam dixi in *Theologia morali*, tract. I, distinct. 3, num. 63 et seqq.) et quando talem viderit, eam si vult suscipiat. At vero, si causam sibi propositam cognoverit esse certe injustam, seu penitus desperatam, aut ex mendacibus allegationibus compositam, nullo modo ejus patrocinium suscipiat, sed omnino renuat. Textus est in I. *Rem non novam*. § *Advocati*. C. de *Judicis*. Accedit ratio: quia advocatus, qui sciens prudensque causæ injustæ patrocinatur, agit contra propriam conscientiam: simulque partim cooperatur peccato alterius, qui injustam causam urget; partim injuste laedit oppositam partem, quam sciens habere justam causam, nihilominus spe forsan lucri temporalis impugnare, et molestare non desinit. Unde etiam tenetur ad restitutionem illius damni quod contra justitiam per ejus auxilium pars læsa incurrit. D. Thomas 2. 2. quæst. 71. art. 3. et alii.

29. *Quid agendum advocato, si causa clientis in progressu appareat injusta, quæ ab initio videbatur justa, vel saltem probabilis?* — Quod si vero causa clientis a principio videbatur advocato justa, vel saltem probabilis aut dubia, sed in progressu appareat eam esse injustam, tenetur ipsum advocatus illicio deserere, atque clientem suum inducere, ut a lite desistat, aut cum adversario componat absque ejus damno: idque tum per cit. I. *Rem non novam*. § *Patroni*, C. de *Judicis*; tum per rationes proxime dictas. Non tamen hujusmodi advocatus debet causam aliis procedere, nec aliam partem juvare, aut secreta suæ causæ adversario revelare (hæc enim omnia pugnant contra fidelitatem, quam ex officio tenetur servare suo clientulo), sed debet causam deserere, vel eum, cuius causam

§ II. DE OBLIGATIONE POSTULANTUM, SEU ADVOCATORUM.

agit, inducere ad cedendum, sive compendum sine adversarii damno. Thomas cit. q. 71. art. 3. ad 2; S. Joannes Capistranus, loc. cit. num. 29.

30. *An tunc possit clientulum inducere ad transigendum?* — Additur notanter, « sine adversarii damno. » Nam, quando advocatus certo novit injustitiam causæ, non potest clientulum suum, quem novit fovere injustam causam, inducere ad transigendum cum altera parte; tum quia transactio non habet locum nisi de re dubia, et lite incerta (qualis in proposito) non amplius extaret; tum quia advocatus partem suam inducens ad transactionem post cognitam injustitiam causæ suæ, consulti ipsi, ut alienum rapiat; sicque non solum peccat, verum etiam ad restitutionem tenetur, quia dat causam damno, quod ex tali transactione (utpote quæ non fit nisi aliquo dato et retento, vel remisso) alteri justam causam foventi emergit. Joannes Bapt. de Caccialupis, t. III *Tractatum*, tract. de *Advocatis*. quæst. 4, n. 5 et alii.

31. *Advocatus qua ratione teneatur servare modum advocandi?* — Resp. III. Ad officium et obligationem advocati etiam pertinet servare modum advocandi: alioquin talis a professione advocate merito est removendus can. *Infames*. § *Arcentur*. 3, q. 7, et l. *Quisquis vult*. C. h. t. Consistere autem debet modus advocandi in tribus, videlicet in modestia, veritate, et fidelitate seu legalitate, ut inquit S. Joannes Capistranus, loc. cit. n. 30 et seqq. Ac de his tribus singillatim agendo.

32. *Tenetur servare modestiam in advocando, et abstinere ab injuriis.* — Quæritur II. Qua ratione advocatus teneatur servare modestiam veritatem, et fidelitatem? Resp. I. Modestiam, tenetur advocatus observare, ut non procaciter, nec conviciando, aut vociferando proponat, sed agat quæ pro causa desiderat, et ab injuriis et maledicendi temeritate se temperet; alioquin enim impediretur honestus justitiae processus. Quinimo, si advocate « adeo procax fuerit, ut non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ immunitationem patiatur; » uti loquitur textus in cit. § *Arcentur*. et d. l. *Quisquis vult*. C. h. t. ubi Glossa, ꝑ *Opinionis*. inquit, quod juxta quosdam ejusmodi procax advocate reddatur ipso jure infamis; vel saltem (ut Glossa tenet) ejus opinio gravetur, et apud bonos et graves viros imminuatur.

33. *Atque servare veritatem; et qua ratione?* Utens falsis pro veris, falsi crimen incurrit. —

resp. II. Veritatem tenetur advocate servare, ut non mentiatur, nec falsa jura, seu falsas leges, aut Glossas alleget, neque falsa instrumenta, sive falsos testes, aut falsas rationes probationesque adducat. Quinimo scienter utens falsis pro veris, falsi crimen incurrit c. *Dura sœpe*, et seqq. de *Crimine falsi*, et l. I, ff. *Ad legem Corneliam de falsis*.

34. *Bonus advocatus dicit clienti: Si sic respondebis, perdes causam; si aliter, et contra veritatem, perdes animam.* — Insuper veritatem pertinet, ne advocate suadeat clientulo quæliter respondeat articulis, positionibus, seu interrogationibus partis adversæ, contra cognitam veritatem, ut obtineat. Væ enim talibus! Bonus advocate dicet clientulo suo: « Si sic respondebis, perdes causam: si aliter, et contra veritatem, perdes animam. » Joan. Andreas in c. *Præsentium. de Testib.* lib. VI, Caccialupis cit. tract. de *Advocatis*. quæst. 4, n. 13.

35. *Non subtrahat adversario sue defensionis copiam, nec superfluas petat dilations.* — Ulterius ad veritatem ab advocate observandam spectat, ne adversario fraudulenter suæ defensionis copiam subtrahat; alioquin ipso facto ostendit iniquam a se item foveri, cit. can. *Infames*. § *Si quis autem et litigatoribus*. 3, 7, et l. *Providendum*. C. h. t. Item, ne superfluas, et non necessarias dilations petat in gravamen partis, neque superstitiosis cavillationibus innitatur, l. *Quisquis vult*. C. eod. et l. *Properandum*. § *Ilo procul dubio*. C. de *Judicis*.

36. *Licet possit occultare ea, quibus impediri posset processus.* — His tamen non obstantibus, licitum est advocate defendenti justam causam, occultare ea, quibus **impediri** posset processus: sicut et in bello justo licitum est ex insidiis agere, ea quæ agenda sunt prudenter occultando. Nunquam tamen licet uti aliqua falsitate. S. Joannes Capistranus, loc. cit. n. 32 et 33, post D. Thom. 2, 2, q. 71, art. 3, ad 3.

37. *Fidelitatem tenetur advocate servare; et qua ratione?* — Resp. III. Fidelitatem quoque (quam S. Joannes Capistranus etiam *Legitatem appellat*) tenetur advocate servare, ut, in quantum justitia permittit, causam sui clientuli foveat, et pro viribus defendat, per distinctas allegationes et rationes jurium, ea omnia proponendo in judicio, quæ ad causam sui clientis sive de jure, sive de facto faciunt, nihilque de contingentibus omittendo. Ad hoc enim vi sui officii, et recepti salarii, obligatus existit, ut d. l. *Properandum*. § *H*,

Iud procul dubio. C. de *Judicis* et l. *Advocati*. C. de *Advocat*. *diversor. judicior.* ubi *advocatorum officium paucis describendo dicitur*, quod «*Patroni causarum, gloriose vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam, et posteros defendunt.*» Unde *Gelasius Papa*, can. *Irreligiosum*. dist. 87, in simili ita scribit: «*Irreligiosum prorsus et execrabilis judicamus, si quisquam vel extraneos, in sua tuitione susceptos, non omni fide, et tota animi sui educaverit sanctitate.*» Ubi *Glossa* ꝑ. *Non omni fide*, inde desumit argumentum contra perfidos *advocatos*, qui plena fide clientulos non defendunt, arg. § *Notandum*. 2, q. 4.

38. *Non potest prodere instrumenta seu documenta secreta sue causæ parti adversæ; alioquin dicitur falsarius.* — Huc etiam spectat alia fidelitas *advocatorum*, in hoc consistens, quod instrumenta, seu documenta secreta causæ non prodant parti adversæ, nec illius argumenta debilia alteri suggerant. Quinimo *advocatus* aperiens adversario secretum causæ sue, aut secreta illius instrumenta prodens, dicitur *falsarius*, L. 1, § *Is qui deposita, Ad legem Cornel. de falsis*, ac notat S. Joannes Capistranus, loc. cit. n. 34. Estque puniendus tanquam *falsarius* l. *Si quis aliquid. Si quis instrumentum.* ff. *de Pœnis*. Teneturque talis ad interesse, sive ad resarcendum omnne damnum parti læsæ illatum, can. *Si quis de clericis*. 12, q. 2.

39. *Nequit idem esse advocatus et judex in eadem instantia. Et quid successive?* — Insuper non potest idem esse *advocatus* et *judex* in eadem instantia, sive causa: debet enim inter utrumque esse differentia personalis, l. *Quisquis vult.* C. h. t. Ubi *Bartolus* addit quod etiam diverso tempore is, qui ante fuit *advocatus*, non possit postea esse *judex* in eadem causa, sed debeat hanc alteri delegare: nam ratione affectionis, quam haberet ad causam a se olim jam defensam, *præsumptio staret contra eum*. Secus foret, si prius fuissest *judex*, et postea fieret *advocatus*: quia tunc cessaret dicta *præsumptio*, nec ullum ius extat proficiens eum ab *advocatio*.

40. *Advocatus utrique parti simul inserviens censemur prævaricator.* — Rursus ex eodem motivo fidelitatis nulla ratio permittit, ut idem *advocatus* ullo modo utrique parti litigantium simul inserviat in eadem instantia: necesse enim foret, ut vel secreta unius partis alteri revelaret, illamque ex propriis suis secretis documentis impugnaret; vel neutri parti specialiter assistendo, causam malitiose

protraheret, contra cit. l. *Quisquis vult.* C. h. t. Quinimo talis *advocatus* in jure censemur *Prævaricator*. saltem improprie loquendo, L. 1. *de Advocat diversor. judicior.* et L. I. ff. *de Prævaricatorib.* juncta *Glossa ibid*. 8, *Prævaricator*. Nunc pergendo ad residua duo principalia capita obligationis *advocatorum*,

41. *Advocatus tenetur servare moderationem in salario.* — Quæritur III. Qua ratione teneatur *advocatus* servare competentiam in *salario*? Resp. I. Quamvis *advocato* liceat vendere justum patrocinium, et jurisconsulto rectum consilium, ut inquit divus Augustinus relates can. *Non licet*, 11, quæst. 5. *nihilominus* hoc ipsum debet fieri competenter, seu cum debita moderatione salarii, «ut non ad turpe compendium, slipemque deformem hæc arripiatur occasio; nam si lucro pecuniaque cupiantur, veluti degeneres inter vilissimos numerabuntur;» prout loquitur textus in l. *Quisquis vult.* C. h. t. et can. *Infames*. § *Apud Urban.* 3, q. 7.

42. *In moderatione salarii, quæ sint consideranda?* — Resp. II. In moderatione salarii quatuor præcipue sunt consideranda, videlicet magnitudo causæ, quantitas laboris, facundia *advocati*, et consuetudo fori, seu regionis: ac juxta hæc quatuor tenetur *advocatus* servare competentiam in *salario*. Ita S. Joannes a Capistrano, in cit. *Speculo conscientiæ*, § *Restat ultimum.* n. 35 et 36. Qui tamen num. 44 et seqq. recte hinc excipit miserables, et aliunde derelictas personas: nam his tenetur *advocatus* gratis patrocinari ne injuste graventur, causisque suis ex defectu *advocati* cadere cogantur; prout jam supra tit. 32. *De officio judicis*. § 3, n. 71, dictum fuit.

43. *Advocatus nequit pacisci de quota litis.* — Quæritur IV. Utrum *advocatus* possit cum suo clientulo pacisci de quota litis, vel alium contractum inire? Resp. I. Cavendum vel maxime est *advocatis*, atque hoc ipsum eisdem in jure gravissime est interdictum, ne cum suis clientulis paciscantur de quota litis (hoc est, de certa parte ejus in casum victoriæ sibi attribuenda) quinimo tale pactum est omnino irritum. Ita communis. Nam propter improbitatem, qua uti posset *advocatus*, talia pacta passim in jure reprobantur; ut l. *Sumptus*, 53, ff. *de Pactis*, et l. *Salarium*, ff. *Mandati*, ubi pactum de quota litis dicitur esse contra bonos mores. Et l. *Si qui.* C. h. t. et cit. can. *Infames*. § *Arceantur*. 3, q. 7. ubi talia pacta dicuntur tendere in grave dam-

§ II. DE OBLIGATIONE POSTULANTUM, SEU ADVOCATORUM.

85

num litigitorum, ac ipsi *advocati* sic pacientes censemur deprædatores: atque jubentur a professione *advocatorum* arceri, hoc est, officio *advocationis* privari, l. *Si qui advocatorum.* C. de *Postulando*. Ubi *Glossa* ꝑ. *Arceantur*. citans alias leges, inquit, tales ipso jure arceri a professione *advocationis*: verum Farinacius part. III *Criminal.* quæst. 106, numer. 5 et 6; Pirhing. h. t. num. 21, cum aliis rectius censem, ad incurrendam ejusmodi poenam privationis officii requiri sententiam *judicis*, saltem declaratoriam delicti prout in simili habetur, c. *Cum secundum*, 19. *de Hæretic.* in 6, estque amplius dictum, tit. II, *de Constitutionibus*, § 19, numer. 227, et seqq.

44. *Cur liceat pacisci de salario, et non de quota litis?* — Et si quæras cur liceat *advocatis* pacisci de *salario*, ac reddendis sumptibus, d. l. *Sumptus*. ff. *de Pactis*. et non de quota litis? Resp. Rationem diversitatis esse: quia, si licetum foret pactum de quota litis, jam spe hujus lucri faciliter invitaretur *advocatus* ad calumniandum: ut notat *Bartolus*, in cit. l. *Si qui.* C. h. t. Nam si paciscens de quota litis non obtinuerit victoriæ, nihil habebit: multum autem, si eam obtinuerit. Seclusus est in sumptibus, et competenti salario, utpote quod debetur *advocato* fideliter servienti, sive vicerit, sive non vicerit: sicut hinc non inducitur tale periculum promovendi calumniosas lites. Engel h. t. numer. 10.

45. *Advocato non licet ullum contractum cum clientulo suo inire.* Nec medico cum suo infirmo. — Resp. II. Insuper non licet *advocato* ullum contractum, vel ullam pactionem inire cum clientulo (hoc est, cum litigatore illo, quem in propriam receperit fidem) sieque non potest cum ipso contractum emptionis, venditionis, vel alium celebrare. Textus est in l. *Quisquis vult.* C. h. t. juncta *Glossa ibid*. ꝑ. *Contractum*. et cit. can. *Infames*. § *Præterea*. 3, q. 7, atque tradit inter alios S. Joannes Capistranus loc. cit. n. 37, et seqq. Ratio hujus prohibitionis est: quia clientulus durante lite contrahens cum *advocato* facile cogeretur omnia dare propter timorem litis, sicut ægrotus medico propter timorem mortis, arg. l. *Medicus*. ff. *de Variis et extraord. cognition*. Ubi idcirco in simili non valet venditio possessionum, per infirmum medico facta: quia præsumitur extorta metu mortis, cui subhaecet infirmus, si in casu repulsæ a medico sibi irato relinqueretur.

46. *Alienas lites redimere, non licet advocatis nec aliis.* — Quæritur V. Utrum licitum sit *advocatis* alienas lites redimere? Resp. I. Generaliter loquendo, ac proinde ipsis etiam *advocatis*, prohibitum est alienas lites redimere, seu causas litigiosas aliorum dato modico pretio emere. Ita communis, et patet ex l. *Per diversas*. C. *Mandati* et cap. ult. *de Alienat. judic. mutand. caus.* Ratio hujus prohibitionis est: quia alioquin *advocati*, vel alii litigiosi homines, rebus fortunisque alienis inhiantes, facile suscitarent intricatas aliorum actiones, forte a principalibus nunquam intentandas: ex quo perturbaretur pax inter homines, et tranquillus status reipublicæ, imo et diversis vexationibus personæ reorum afficerentur.

47. *Et qualiter id prohibitum?* — Unde in cit. l. *Per diversas*. et l. *Ab Anastasio*. C. *Mandati*. ad præcavendum hujusmodi incommodis provide cautum fuit, quod si data pecunia quis litem redemerit, seu cessionem ejus in semeptimum fieri curaverit, non nisi ad quantitatem numeratae pecuniæ agere possit: ac proinde, si reus debitor succubuerit, non plus teneatur solvere emptori litis, quam is pro pretio dedit venditori, sive vero ac primævo creditori.

48. *Excipiuntur hinc actiones liquidæ; nam haec bene possunt vendi.* — Excipiuntur tamen hinc actiones liquidæ, seu indubitate: quales censemur illæ, in quibus adversarius non negat; alioquin enim per negationem redde-rentur dubiae, ut inquit *Glossa* in l. *Per diversas*. C. *Mandati*. Siquidem actiones liquidæ quovis modo in alium transferri, imo et vendi possunt, l. *Vendor actionis*. ff. *de Hæredit. et action. vendit.* et l. *Hominis*. et l. *Certi*. C. cod. *Glossa* in c. *Ex parte*. ꝑ. *Sanctiones*. h. t. Engel, tit. *Ut lite pendente*, etc. n. 5. et alii. Nam in actionibus liquidis cessat ratio prohibitionis, n. 46, allata.

49. *Item cessio litis per donationem facta. Et quid, si actio pro parte vendatur, et pro parte donetur?* — Insuper excipitur cessio litis per donationem facta: hoc est, illa, quæ fit non contemplatione pecuniæ, sed ex mera et pura liberalitate. Textus est in cit. l. *Per diversas*. § fin. et l. *Ab Anastasio*. C. *Mandati*. In quo tamen posteriori loco hinc excluditur quelibet *fraus*, quæ in tali donatione contingere posset: ut, si actio, pro parte vendatur, et pro parte donetur; aut si quidem titulus donationis apponatur, clam autem detur aliud nomine pretii: talis enim simulata do-

natio litis nullatenus approbatur, imo in ea locum habent dicta n. 47.

50. *Excipiuntur etiam nonnullae aliae cessiones litis; et quales?* — Tandem excipiuntur nonnullae aliae cessiones litum: ut sunt illae, quas inter coheredes pro actionibus hereditariis fieri contingit; item illae, quas creditor accipit pro debito suo, et quae inter legatarios, et fideicommissarios, pro debitis, actionibus, vel rebus sibi relictis fieri solent; tales enim cessiones in cit. l. *Per diversas*, expresse excipiuntur, ac fieri permittuntur. Quanquam hujusmodi cessiones, seu alienationes litum, solummodo fieri possint ante judicium inchoatum: nam ubi istud semel est inchoatum, saltem per citationem, et sufficientem causae instructionem parti notificata, dictae cessiones litum ex alio capite fieri prohibentur; quia videlicet lite pendente nihil est innovandum, cap. i et seqq. et Clem. 2. *Ut tute pendente*, etc.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

1. *Ratio continuationis titulorum.* *Procurator* dicitur ex parte actoris; *defensor* ex parte rei. — Quia procuratores similes sunt postulatoribus, merito post titulum de Postulando subjungitur praesens rubrica de Procuratoribus. Quamquam haec in Digestis juris civilis simul inscribatur de Procuratoribus et defensoribus; procurator enim magis stricte loquendo, dicitur ex parte actoris; defensor ex parte rei, ut inquit Glossa in l. I. §. *Procurator*. ff. h. t. Verum impræsentiarum procurator sumitur largius, videlicet tam pro eo, qui datur ad agendum, quam qui ad defendendum, arg. cap. i, h. t. in 6.

§ I.

DE NATURA ET DIVISIONE PROCURATORUM.

2. *Procurator, quid?* — Quæritur I. Quid sit procurator? Resp. I. *Procurator* juxta nominis etymologiam idem est, ac pro alio *curator*? nempe pro domino, cuius loco, et nomine res, seu negotia sua gerit, et administrat. Usus quippe procuratoris (inquit Ulpianus in l. I. ff. h. t.) perquam necessarius

est, ut, qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios possint vel agere, vel conveniri.

3. *Procurator, quid?* — Resp. II. « *Procurator* est, qui aliena negotia mandato domini administrat. » Ita habetur in cit. l. I. ff. h. t. et patet bonitas hujus definitionis declarando singulas ejus particulas.

4. *Procuratoris nomen est generale.* — Et primo quidem dicitur, « Qui. » Nomen quippe *Procuratoris* generale est, atque omnes omnino comprehendit, qui aliquam administrationem rerum alienarum gerunt, sive dein hoc fiat extra judicium, sive in judicio. Juxta quod proinde multiplex datur divisio procuratorum, proxime declaranda.

5. *In propriis rebus nemo dicitur procurator.* — Dicitur deinde, « aliena negotia. » Quibus verbis indicatur materia, circa quam procuratoris officium versatur: nemo enim in propriis rebus, seu negotiis, procuratorem agit; quia, sicut nulli res sua servire dicitur, L. *In re communi*. ff. *de Servitut. urban.*; ita et nullus res suas procurare, sed potius tanquam dominus de ipsis disponere censetur.

6. *Procurator quomodo differat a negotiorum gestore, tutore, curatore?* — Dicitur ulterius, « mandato domini. » Quia per hoc differt procurator a negotiorum gestore, ut pote qui sine mandato absentium negotia utiliter gerit, l. II. ff. *de Negotiis gestis*, et § I. Insit. *de Obligat. quæ ex quasi contract. nasc.*; haud obstante, quod etiam negotiorum gestor subinde in jure vocetur procurator, ut l. *Si quis*. 58. ff. *de Solutionib.* Insuper per dictam particulam procurator distinguitur a tutore, curatore, et aliis hujusmodi, qui non mandato domini, sed publica auctoritate legis, vel magistratus, aut testatoris aliena negotia gerunt: at vero procurator privato domini mandato administrat res illius. Et additur, « *administrat*, » ad indicandam differentiam ejus a postulatore, seu advocate. Unde

7. *Et ab advocate?* — Quæritur II. Quomodo procurator differat a postulatore, seu advocate? Resp. I. Inter procuratorem, et postulatorem seu advocate, multiplex est discri- men. Imprimis enim officium advocate est publicum, atque honorificum, et pluribus gaudens privilegiis: at vero officium procuratoris est privatum, vile atque onerosum; prout jam dictum tit. præced. n. 6 et 7. Quanquam defacto officium procuratoris in camera imperiali non esse vile, sed honorabile, notet Gailus lib. I. *Practic. observat.* 43,

§ I. DE NATURA ET DIVISIONE PROCURATORUM.

87

n. 6. eo quod ibi sit consistorium summi principis, scilicet imperatoris, et statuum; ac nullus in numerum procuratorum recipiatur, nisi sit doctor, aut licentiatus.

8. *Procurator administrat negotia domini non sic advocatus.* *Procuratoris officium est privatum, et vile: et quid in camera imperiali?* — Deinde advocate solummodo exponit in judicio desiderium suum, vel clientuli sui, aut alterius desiderio contradicit, allegando in hunc finem merita cause, ejusque fundamenta, sive in jure, sive in factō consistentia. Procurator econtra administrat ipsas res, ac negotia sui principalis, sive domini, ejusque personam sustinet: et si est procurator ad lites, nomine principalis litigantis agit, sumptusque litis suppeditat, ac pro principali in judicio comparet, sententiam excipit, et reliqua dirigit veluti administrator alterius, hoc est principalis litigantis.

9. *Nemo invitus cogitur esse procurator, bene tamen advocatus.* — Tertio, advocate, utpote gerens officium publicum, et reipublicæ necessarium, potest compelli per judicem ad suscipiendum patrocinium ejus, qui non habet advocate, arg. cap. i. *de Officio judicis*. et l. I. §. *Ait prætor*. ff. *de Postulando*. Et quidem sub pena privationis officii, si tunc pro altero absque justa causa postulare recusat, l. *Providendum*. C. eod. Econtra nemo invitus officium procuratoris, utpote vile atque onerosum, susciperè compellitur, l. *Inclusus*. C. *de Procuratorib.*

10. *Ille tenetur actione mandati; non sic advocatus.* — Quarto, obligatio illa, quæ inter dominum et procuratorem consistere solet, mandati actionem parit, l. *Licet in populibus*. § *Ea obligatio*. ff. h. t. Unde si procurator quid fraude vel dolo egerit, aut cum adversario colluserit, actione mandati tenetur, l. *Si procurator*. C. h. t. et l. *Si procuratorem*. 8. ff. *Mandati*. Secus est in advocate: nam is collaudens cum adversario, vel secreta sue partis ipsi prodens, tenetur de prævaricatione; utl. I. C. *de Advocat. divers. judicior.* et l. I. ff. *de Prævaricatorib.*

11. *Procurator ad lites fit dominus litis post ejus contestationem; non sic advocatus.* — Quinto, procurator ad lites seu judicia constitutus, per litis contestationem fit dominus litis; unde ab ipso potest dari alius procurator, text. clar. cap. i. § *Licet. de Procuratorib.* in 6. atque amplius dicetur infra § 5. n. 108 et 109. Secus fit in advocate, arg. l. I. C. *de Errore advocat.* Tacentur nonnullæ aliae dif-

ferentiæ, de quibus Pirhing h. t. n. 2. et alii

12. *De facto plerumque advocate partium, simul constituuntur harum procuratores.* — Notandum tamen cum Zoesio h. t. ff. n. 1. et

Engel h. t. n. 2. quod hodie plerumque advocates partium soleant simul constituiri procuratores earum: nam facilius est partibus, tum ad parcendum sumptibus, tum ad alia incomoda evitanda, eumdem habere simul et advocates, et procuratorem; prout in camera Spirensi receptum esse refert Gailus cit. l. I. *Practic. observat.* 44. n. 8. inde concludens, quod quia tales dupli funguntur officio, recte et inculpate utriusque muneris nomine salariæ exigant, et recipient; per texum notabilem in l. *Iis scholaribus*. C. *de Erogation. militar. annonæ*. l. XII.

13. *Procuratores ad lites, seu judiciales, et procuratores ad negotia, seu extrajudiciales, qui?* — Quæritur III. Quæ sit procuratorum divisio, et distinctio? Resp. I. Generatim loquendo, procuratores vel constituuntur ad judicia, vel ad negotia extra judicium tractanda. Ita communis. « *Procuratores ad judicia*, » qui alio nomine vocantur « *procuratores judiciales*, » sunt illi, qui aliorum vices in sustinendis judiciis gerunt, atque in his alieno nomine lites prosequuntur: et de his in praesenti titulo frequens occurrit mentio. « *Procuratores ad negotia* (qui et procuratores extrajudiciales » appellantur) sunt illi, quibus negotia extra judicium gerenda demandantur: de quibus in ff. et eod. tit. *Mandati et contra*, passim agitur.

14. *Et quomodo differant?* — Porro inter procuratores ad lites et procuratores ad negotia, præter differentiam illam, quæ vi nominis importatur, aliud notabile datur discrimen. Siquidem procurator ad negotia libere potest substituere alium procuratorem: non item procurator ad lites, nisi post litis contestationem, et in certis casibus; de quibus fit mentio in cap. i. h. t. n. 6. et infra § seq. n. 36. et 38. dicetur.

15. *Illi solum post viginti quinque annos, hi post decimum septimum ætatis annum possunt deputari: et quæ ratio disparitatis?* — Deinde procurator ad negotia licite deputatur post decimum septimum ætatis sue annum: ad judicia vero procurator deputari nequit, nisi sit major viginti quinque annis, c. *Qui generaliter*. § *fin. h. t. in 6. et l. Minor*. 51. ff. eod. juncta Glossa ibid. §. *Non est*. Ratio disparitatis est; tum quia in negotiis regula- riter non agitur de tam gravi *præjudicio*.